



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

10 Donationes Ecclesiae Romanae factae per Principes Imperij fuerunt
confirmatae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

dem Othone confirmata, ut in d. §. *præterea, per quas omnes.*

1^o Tertiò comprehenduntur bona donata per ipsum Othonem, de quibus in eod. §. *præterea*, & donationes dictorum, & aliorum bonorum fuerunt confirmatæ per Principes Imperii, anno 1179. ut supra in cap. 1. n. 19. & seqq. Et postremò ab Henrico Imperatore, ut in d. *Clem. unic. §. porrò præter, de iurejur.* Ab illo itaque tempore, quo Constantinus Ecclesiam dotavit, deinceps viri religiosi non solum possessiones, & prædia, quæ possidebant, sed etiam semetipsos Domino consecrarunt, ædificantes basilicas in suis fundis in honorem sanctorum Martyrum, percivitates, ac monasteria innumera, in quibus coetus Domino servientium conveniret, ut in d. *cap. futuram*, 12, q. 1.

Videntes autem summi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles plus utilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus, quàm futuris temporibus, plura, & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum, prædia, & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex earum redditibus vivere cœperunt. Ipsæ verò res in ditione singularum Parochiarum, Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, suntque ad præsens, ac futuris semper debent esse temporibus, ex quibus Episcopi, uti fideles dispensatores eorum, omnibus in communi vita degere volentibus, ministrare cuncta necessaria

debent, prout melius possunt, ut nemo in eis egens inveniat. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quæ à fidelibus Domino offeruntur. His ergo memoratis augmentationibus, in tantum ecclesiæ, quibus Episcopi præsent, domino adminiculante, creverunt, tantisque maxima pars earum rebus abundat, ut nullus in eis communem vitam gerens sit indigens, sed omnia necessaria ab Episcopo, suisque ministris percipiat, ut *cap. videntes, ead. 12. q. 1.*

1^o Clerici verò sæculares, & hodiè tria genera bonorum possunt habere.

Primò patrimonialia, quæ per successionem, donationem, legata, aut alios contractus acquiruntur, *cap. Episcopi, & cap. sint manifesta, junctis gloss. ead. quest. 1, cap. 1, & cap. fixum, ead. 12. quest. 5, & cap. quia nos, ext. de testam.*

Secundò habere possunt bona, quasi patrimonialia, quæ quaruntur ratione ordinis clericalis, vel officii alia ratione quàm juris percipiendi fructus beneficiorum, ut quæ percipiuntur in electio synis pro Missis celebrandis, confessionibus audiendis, & concione habenda, vel pro mercede officii capellani, vicecurati, aut vicarii temporalis, vel alios spirituales actus exercende. Innocen. in d. *cap. quia nos*, & ibi Host. Abb. in *cap. cum officijs, num. 6, de testam.* Franc. in *rubr. eod. tit. in 6. col. 30.*

Tertiò bona ecclesiastica, ut sunt redditus beneficiorum ecclesiasticorum, qui quotannis percipiuntur, & quotidiana distributiones, quæ occasione canonicatum, aut aliorum beneficiorum singulis diebus superlucantur, ut *cap. præ-*